

naturaliter tendentia tali scilicet libera, & ita tendit in illud obiectum contingenter, quod in eodem instanti possit tendere in oppositum obiectum disjunctivè; hoc tam de potentia logica, quæ est non repugnancia terminiorum, quam de potentia reali, quæ prior est naturaliter actu suo. Ex quibus verbis Doctoris constat divinam voluntatem, ac volitionem aliquam veram, ac propriam indifferentiam activam, & contraditionis potentiam convenire, sine qua non est intelligibilis aliqua libertas, & indifferentia ad utrumlibet, nimirum per habitudinem non ad intrinsecos actus, sed ad extrinsecos objecta; unde immerito potentiam hanc à Scoto assignatam vocavit Cajetanus solito periculo p. 1. quest. 19. art. 6. ad 4. imaginationem Scotifam voluntariam; quando quidem est doctrina valde utilis, ac necessaria fundata in essentiali conceptu divinæ libertatis; quam concedunt in divina voluntate D. Thom. p. 4. art. 7. q. 1. ad 3. D. Thom. 1. contra Gentes cap. 82. Vasquez p. d. p. 79. n. 16. Valp. punct. 4. assert. 7. Bannez p. 1. q. 19. a. 10. dub. 2. & alii passim.

162 Ex quo tandem inferitur libertatem non importare in divina voluntate aliquam perfectionem indifferentem ad essendum idem quæ possit esse, & non esse in Deo, sed tantum indifferentem ad terminari, vel non terminari ad objecta idem quæ possit terminari, vel non terminari ad illa, unde actus Dei liber alius non erit, quam actus ipse necessarius, quatenus ad objecta creata seipso terminatus absque aliquo medio unionis respectu; etenim ex limitatione, & similitudine actus creata voluntatis procedit, ut obiecto volibili vitaliter uniri nequeat absque respectu reali mediæ unionis, quem respectum vocat Doctor quol. 13. respectum vitalis tendentie, & attingentie in absoluto actus vitalis fundatum, & obiectum volibile terminatum; unde talis tendentia, & attingentia in actu divinæ voluntatis licet nostro imperfecto intelligendi modo, à nobis concipiatur per modum cujusdam respectus, quo creaturas attingit; nullum tamen talem respectum præferat à parte rei, cum Dei ad creaturam nulla possit relatio realis ob dependentiam unius relativi ab alio in esse tali, sed est ipsemet actus divinus sub ratione omnino absoluta seipso præcisè ob suam illimitationem obiecto volibili unius; & hoc expressè notavit Doctor quol. 13. cit. lit. Q. dicens actum necessarium divinæ voluntatis, cum sit formaliter infinitus, absque mediâ unione, vel tendentia, quæ dicit respectum realem, uniri creatis obiectis, cum Deus vult illa, itaque ob talem illimitationem sui actus potest divina voluntas unice, ac simplicissimo actu præferre quicquid potest creata pluribus, ac distinctis numeris, & specie ita idemmet actus divinæ voluntatis sit necessarius, prout in divinam tendit essentiam, liber vero, quatenus tendit in objecta creata; sic amor quatenus terminatur ad obiectum, cui vult bonum, odium vero; quatenus terminatur ad obiectum, cui vult malum, quod manifestè suadet, quia sicut velle creaturam suspè natura ad aliquid determinatum obiectum ordinatur, à quo sumit speciem, ob suam limitationem, & in alia objecta tendere non potest, & ideo ut possit nostra voluntas in diversa objecta tendere, aut tendere, & non tendere, opus est, ut potentiam habeat ad diversos actus, vel ad actum, & privationem actus; ita è contra velle divinum, quia est infinitus actus, & illimitatus, non mensuratus, aut specificatus ab aliquo obiecto, potest idem prorsus tendere in obiectum necessarium necessario, in contingens contingenter, in bonum per modum volitionis, & amoris, in malum per modum volitionis, & odii unde assignanda erit in voluntate divina distinctio actuum, vel oppositio illorum, non secundum rem, sed secundum terminationem extrinsecam pro diversitate obiectorum.

163 Probatur itaque ex differentia jam posita inter divinam, & creatam voluntatem nostrum asserum in hunc modum; libertas divina non est per modum potentie, sed actus purissimi, & infiniti in genere vitalis appetitus; ergo in se eminenter habet per modum actus secundi quicquid formaliter requiritur ad volendum quodcumque obiectum volibile, atque ideo quæcumque vult, vel tenet divina voluntas necessario, vel libere, hæc omnia præstat unice, ac simplicissimo actu pluribus numeris, vel specie æquivalenti absque ulla prorsus additione, vel mutatione in seipsa; probatur consequentia, quia si talis additio, aut mutatio necessario esset, tunc divina voluntas non esset infinita in ratione potentie volitivæ, neque divina volitio in genere actus appetitivæ; cum quia quævis in nobis li-

betas exerceatur per variationem actuum intrinsecorum; & mutationem extrinsecorum obiectorum; tamen illud primum non est de ratione libertatis, ut sit, sed libertatis creata, & limitata; simpliciter enim, & absolute loquendo exerceri potest uno, & eodem actu per solam variationem, ac mutationem obiectum extrinsecorum; & ita de facto exercetur divina libertas ad extrinsecam eandemque vitalis tendentia, quæ nunc dicitur volitio mundi, fuisse mundi nolitio, si ad illum per modum nolitiois terminata fuisset, & eadem vitalis tendentia ad alium mundum possibilem, quæ nunc dicitur nolitio, fuisset volitio si ad illum terminata fuisset per modum volitionis; unde sola applicatio ejusdem actus vitalis per modum volitionis determinatæ, quando nempe ferunt in existentiam creaturæ, aut per modum nolitiois, quando, scilicet, ferunt in negationem existentie, dicitur libera, non autem ipsa divina volitio in sua entitate, quæ potuerit esse, & non esse.

164 Solet consistari à paritate actus divini intellectus, etenim ex eius infinitate oritur, ut unicus, ac simplicissimus intelligendi actus in Deo sit simul simpliciter necessarius respectu rerum possibilem, & liber respectu actualium, & futuratum nulla facta intrinseca additione, ac mutatione in actu intelligendi, vel sciendi simpliciter extrinseca in obiecto scibili, vel intelligibili, quod per determinationem divinæ voluntatis de simplici possibilitatis statu transivit ad esse futurum; ergo idem pariter dicendum de actu divinæ voluntatis, quod sit idem omnino, quo diligit seipsum, & creaturas, & necessarius dicitur in ordine ad seipsum, liber vero, & contingens, ut transit super creaturas; consequentia pariter, quia sicut scientia simpliciter intelligenda dicitur necessaria, ut respicit essentiam, & creaturas posibles, & scientiam visionis est libera, ut respicit creaturas futuras; ita actus, quo Deus seipsum diligit est necessarius, & actus, quo vult creaturas est liber; nec maior videtur difficultas in explicacione istius, quam illius, ita Fafol. & Lefan. cit. dixerunt cum alijs Receptoribus. Ceterum hæc paritas non est omnino adæquata, quævis enim ex ea parte admitti possit, quod sicut non multiplicatur formaliter, nec variatur actus divini intellectus ex multiplicitate obiectorum, super quæ transit, sed solum virtualiter, ac eminenter, idem interim species, & numero entitative perseverans ad eius infinitatem, sic patet actus liber, & necessarius divinæ voluntatis non sunt actus species, vel numero intrinsece distincti; sed tantum extrinsece ratione obiectorum, in quæ tendit liberè, vel necessario juxta naturam obiectorum necessario, vel liberè diligibilium; adhuc tamen ex alia parte latum remanet inter utroque actus discrimen, scientia namque ut ex necessitate sit libera, & ex simplici intelligentia fiat visio exprimentio rerum existentium in aliqua temporis differentia, ultra eorum possibilitatem, saponit ali-quod decretum liberum divinæ voluntatis, & mutationem aliquam saltem obiectivam factam in obiecto per tale decretum, merito cuius transivit de merè possibili in futurum; at verò ante actum liberum voluntatis nullum tale præsupponi potest, quia possibilia accipiunt esse futurum per ipsum, unde prius est Dum liberè velle mundum futurum, quàm è contra, & ideo omnis mutatio, vel variatio, quæ in obiectis intelligi potest, ab ipso voluntatis libero decreto originem ducit; facilius ergo intelligitur quod scientia divina, quæ semper entitative necessaria est, in priori naturæ signo dicitur obiectivè necessaria, quatenus ad obiectum necessarium terminabatur, deinde in posteriori libera, cum intelligitur postea terminari quoque ad obiectum contingens sine ulla prorsus additione reali, aut mutatione in ipso actu divini intellectus subséquuta, quia mutatio præsupponitur facta in obiecto extrinseco, quod de statu merè possibilitatis ad ordinem existentium transivit, quæ mutatio est obiectiva in æternitate, & realis pro tali differentia temporis; hoc autem de actu voluntatis dici non potest, quia omnis varietas, & mutatio, quæ potest in obiectis intelligi, ab ipsa voluntate trahit originem; unde remanet adhuc integra difficultas, quomodo actus necessarius divinæ voluntatis sit liber per seipsum transiit super creaturas futuras nulla prorsus facta mutatione in seipsa, quandoquidem illi salvari non possit per mutationem extrinsecam obiectorum, in quibus nulla mutatio potest intelligi, nisi dependentes ab ipso actu libero voluntatis, unde videtur obiectum creatum, quod de statu possibilitatis transiit in ordinem futurorum, in posteriori signo aliter se habere, quàm in priori, quia divina quoque voluntas aliter se habet circa illud; nec alia ratio videtur

detur adduci posse talis mutationis extrinsecæ in obiecto.

Melius ergo confirmari potest ratio principalis persistendo in infinita perfectione actus divinæ voluntatis, quia ob suam eminentiam æquivalere pluribus actibus voluntatis nostræ; sicut ergo in nobis ob actum multipliciter facili intelligitur, quomodo nostra voluntas sit libera ad opposita objecta, quia est libera ad oppositos actus, ita quoque in Deo concipi debet in voluntate libertas ad opposita objecta per eundem omnino actum æquivalentem ob eorum illimitationem pluribus nostris, quatenus seipso absque ulla prorsus intrinseca additione terminari potest ad illa cum quadam indifferentia, ac dominio non quidem supra seipsum, sed super transitum ad illa; unde tota illa perfectio, quam dicitur Cajet. addi à parte rei entitatis necessariae ipsius actus in ipsamet perfectione actus in ipsamet perfectione actualissima ejus continetur, ratione cuius salvati debet quicquid salvaretur per talem additionem, & quicquid de facto salvatur in nobis per actum multipliciter, quamquam sit nobis difficile capere eo quia assueti rebus limitatis, & finitis infinitatem actum divinum non rite penetramus; Verum quia tota hujus controversie difficultas consistit præsertim in applicacione doctrinæ ad solvendas objectiones in oppositum, quæ valde ætude sunt, & evidentes; & illa censenda est in hæc materia probabilior sententia, quæ magis dignè sentit de divina libertate, eamque cum divina immutabilitate cum minori incommodo accommodat, & conciliat proponenda sunt potiores difficultates, & pro viribus diluende juxta præcedentem doctrinam de actibus De liberis auctoritatem.

OBJECTIO PRIMA.

165 In oppositum itaque Primo contra præcedentem dicendi modum urgetur difficultas, quæ huic controversiæ occasione dedit, & in ejus vestibulo tacta fuit, totum, id, quod dicit volitio Dei libera in actu secundo aliquid reale esse debet, quia non per aliquid fictum, & rationis constituitur realiter, ac libere volens. Sed hoc totum potest esse, & non esse in Deo; ergo vera est aliquid volitionis necessaria superadditio, quod consequenter mutabilitatem subiectivam in Deo supponit, hæc est brevis, sed valde implexa difficultas. Si Dicat, ut responderi solet ab Auctoribus huic sententia, hoc totum posse esse, & non esse in Deo, non quantum ad entitatem, & perfectionem, sed quantum ad terminationem, seu denominationem libertæ terminationis, spectat enim ad infinitatem divinæ volitionis, ut seipsa absque reali additione, vel detractio terminetur, vel non terminetur ad objecta creata. Hæc responsio facile eliditur, illa denominatio est realis, ac intrinseca, ergo importat aliquid reale in Deo, rursus est denominatio non necessaria, sed libera; ergo est aliquid reale, non necessarium, sed liberum. Si cum Suarez disput. 30. cit. n. 46. distinguas ultimum consequens scilicet est aliquid reale non necessarium quoad esse, negatur consequentia, non necessarium quoad terminationem, vel causalitatem, sic conceditur consequentia. Rursus impugnat inquitendo, num hujusmodi terminatio, per quam dicimus actum necessarium Dei constitui in ratione actus liberi, sit aliquid reale, vel rationis, non hoc secundum, quia supra impugnatum est; si primum, rursus queritur an sit aliquid reale se tenens ex parte Dei, aut creaturæ volitæ; non hoc secundum, quia tunc incidere in sententiam Aureoli, vel in aliam de connotatis; si primum, rursus arguitur, vel talis perfectio per hujusmodi terminationem importata potest esse, & non esse in Deo, vel necessario inest, non hoc secundum, quia tunc pertinere non possent ad constitutum decreti liberi Dei, quandoquidem libertas ex sua formalis ratione indifferentem includit, & necessitatem excludit; si primum, reincidimus tandem in Cajetani sententiam jam impugnatam.

167 Respondet Lezana loc. cit. hujusmodi terminationem ad obiectum creatum non esse aliquid rationis, sed aliquid reale, quævis à nobis intelligi nequeat sine aliquo respectu rationis, ad modum, quo omnipotentia, & scientia Dei non sunt aliquid rationis, sed reale, & tamen non possunt illas cognoscere, nisi per respectum rationis ad objecta addit etiam hujusmodi terminationem, quævis passivè sumpta se tenet ex parte obiecti creati voliti, activè tamen sumpta se tenet ex parte Dei, esseque perfectionem intrinsecam ipsius; & quando queris, an hujusmodi perfectio possit esse, & non esse in Deo, an vero necessario sit, inquit, in ipsa duo distingui debere, alterum ratio entis, & perfectionis, alterum denominationis terminationis ad obiecta; loquendo de ipsa, quatenus dicitur

entitatem; & perfectionem, hoc modo necessario est in Deo; loquendo autem de ipsa, quatenus importat talem denominationem potest in Deo esse, & non esse, liberè, & contingenter illi convenire, ac per consequens salvatur in Deo esse perfectionem actus liberi, qui aliquo modo potuerit esse, & non esse in Deo. scilicet quoad denominationem liberi, necessaria tamen quoad perfectionem, ac entitatem, quam importat. Si dicas recurrere idem argumentum de hac denominatione liberi, ut supra, hæc denominatio est realis, & non necessaria, ergo importat aliquid reale non necessarium. Respondet eodem modo, sicut ajbar de terminatione: non esse aliquid rationis, sed reale se tenens ex parte Dei, quod quidem quantum ad id quod perfectionis, & entitatis includit necessario inest ipsi; quantum vero ad id, quod induit rationem denominationis libertæ, liberè, & contingenter ipsi convenit.

Hæc responsio, quamvis communis, & frequens Auctoribus nostræ sententia, si aliud non addatur, vel melius declaratur, nequaquam satisfacere videtur, sed in solis, ac puris verbis consistere, quare rursus contra eam replicat Artiga disput. 28. cit. sect. 3. nam vel effectus formalis, aut terminatio, vel denominatio, seu quocumque modo nominetur id, secundum quod divina volitio dicitur contingens, & libera, est aliquid reale, vel est sola vox, aut purum nihil; si hoc ultimum, ergo Deo nihil tribuis, dum cum dicit esse liberum, quod est hæreticum; si aliud reale, ergo dum ponitur ab æterno abesse quoad affectum formale, terminationem, aut denominationem, potuit aliqua entitas realis à Deo abesse, & per consequens etiam quoad esse erit contingens.

Ad clariorem igitur difficultatis solutionem advertendum est, quod quando Deus denominatur volens efficaciter creaturas, seu illas amans in ordine ad existentiam, hæc denominatio planè est libera, ac veluti nova, inquantum in priori signo non habebatur, & in posteriori ita habetur, ut potuerit non haberi, & quævis actus unde denominatur volens, sit forma Deo intrinseca, & necessaria, non tamen ab ea sic simpliciter, & absolute considerata denominatur liberè volens, sed ab ea ut terminata ad creaturas actuales cum aliqua earum immutatione saltem in esse obiectivo; quæ terminatio explicanda est per modum cujusdam causalitatis, quam actus divinæ voluntatis exercet circa creaturas producendo illas in esse quodam secundum quid, & diminuto ab æterno, & in esse simpliciter in tempore; quod satis clarè indicavit Doctor part. distinct. 37. s. *muta prædicta cum inquit*, quod ponitur libertas in voluntate divina, inquantum est potentia operativa; & licet non sit productiva, & receptiva volitionis sue, adhuc tamen potest in ea salvari libertas inquantum productiva est, licet enim productio in esse existentia non comitetur necessario operationem ejus, in esse existentia est in æternitate, & productio esse existentie est in tempore; tamen operationem ejus necessario concomitatur productio in esse volito, quatenus res posibles participans esse futurum ex efficaci determinatione divinæ voluntatis, nec tale esse habent, donec divinum velle in se necessarium exerceat suam vim liberam, seu causalitatem, circa creaturam, in quo non ipse actus aliter se habet, sed facit, ut obiectum, seu creatura aliter se habeat; unde determinatio divinæ voluntatis concipi debet per modum aliquid causalitatis vel in esse simpliciter, vel saltem secundum quid, per quam concipitur obiectum tantquam mutatum aliquo modo in ordine ad actualem existentiam sibi præparatam, & ita sentit Maïron part. distinct. 33. quest. 1. s. *quartum principaliter*, ubi ait divinum decretum esse productionem activam qua voluntas producit obiecta in esse volito. Ex quo sequitur denominationem liberi in Deo non esse totaliter intrinsecam in ordine ad effectum extrinsecum, quem producit vel in esse reali simpliciter, vel saltem in esse obiectivo, atque ideo actus liber in Deo in actu secundo non est concipiendus præcisè, ut forma causans effectum formalem in Deo, sed etiam ut causa efficiens liberè causans aliquid extra Deum; & rursus sequitur totum, quod adæquate dicit volitio libera Dei in actu secundo non esse in Deo, quia non solum dicit in rebo, & principaliter actum necessarium in ipso existentem, sed etiam connotativè, vel potius terminativè aliquam creati obiecti mutationem, ad quam voluntas divina liberè se se determinat sine aliqua intrinseca proprie entitatis mutatione; quam obiectivam mutationem etiam res non futura subito possunt, nam hoc ipso, quod Deus decrevit illas nunquam futuras, intelliguntur habere aliquam habitudinem ad existentiam, quæ ex se non habebant in esse possibili, nam in eo statu



ex se aut indifferentes ad esse futurum, vel non futurum; per decretum autem Dei determinantur, ut nunquam existant.

469 Sicut ergo bene concipimus, quando Deus res producit in esse reali, velle divinam esse necessarium in essendo, & cum hoc etiam esse liberum, in causando absque ulla additione, vel mutatione facta in actu divina voluntatis per solam mutationem in creatura subsecutam, ita pariter discurrendum est de actu eodem divina voluntatis, quando ab aeterno eas producit in esse volito, & secundum quid, nempe quod sit necessarius in essendo, & cum hoc etiam liber in causando creaturas in esse volito, id enim est velle liberè, & efficaciter creaturas in ordine ad existentiam, quod eas producere in esse volito efficaci absque ulla prorsus additione, vel mutatione facta in ipso per solam mutationem in creatura subsecutam, non quidem realem, sed obiectivam ex vi determinationis divina voluntatis, non quia divina voluntas, aut ejus actus aliter se habeat in posteriori signo natura quam in priori, sed quia se determinando in posteriori signo absque aliquo intrinseco sibi addito facit, ut obiectum aliter se habeat & sicut hac mutatio ex parte obiecti sufficit, ut scientia, quae prius dicebatur necessaria, dum exprimebat solam creaturatum possibilitatem, in posteriori signo dicatur libera, dum quoque representat earum futuritionem absque ulla prorsus additione, vel mutatione facta in actu divini intellectus; sic pariter sufficit in proposito, ut idem actus divina voluntatis, qui dicebatur necessarius, dum in divinam existentiam ferebatur, in posteriori signo dicatur liber, dum fertur in creaturas actuales absque ulla additione, vel mutatione in ipso facta; & solum in hoc est discrimen, quod voluntas facit talem mutationem in obiecto, scientia vero visiois supponit eam factam, vel praemisam per voluntatem, & in hoc sensu potest admitti patitas assumpta supra num. 34. de actu intellectus, & voluntatis quoad libertatem, quare ad argumentum positum sub num. 46. respondeo in forma distinguendo majorem, totum id, quod dicitur volitio libera Dei debet esse reale, veram esse, non tamen totum esse debet Deo intrinseco, quia extrinsece, vel terminative dicitur aliquam, creati obiecti mutationem, ad quam voluntas liberè se determinavit, ad minorem, cum dicitur, sed hoc totum potest esse, & non esse in Deo, distinguo, quantum ad id, quod importat ex parte Dei, nego, quantum ad id, quod dicitur ex parte creaturae, concedo; & tunc negatur consequentia.

170 Sed dices sic respondendo nos incidere in opinionem de connotatis, quia declaramus libertatem Dei per aliquod extrinsecum connotatum ex parte creaturae, unde potest impugnari haec responsio, sicut nu. 155. & seq. impugnabatur; illa enim voluntas Dei intelligitur libera ante quodcumque tale connotatum, quandoquidem volitio libera Dei, ut sic, est causa existentiae, & futuritionis creaturae; tum quia ut arguebatur sub n. 158. datur aliqua libera volitio in Deo, cui nulla correspondet productio extrinseca, neque in esse reali, neque secundum quid, ut patet respectu non futurorum. Respondeo planè negari non posse, quod divinum decretum connotet, vel respiciat aliquid extrinsece causandum, vel non causandum, quemadmodum patet scientia, & omnipotentia Dei sua etiam obiecta connotant; non ob id tamen incidimus in opinionem de connotatis; illa namque ad effectum divinae volitionis recurrebat, ut ad formalem constitutum, vel collectivum ejus in esse liberi, quod planè admitti non debet, quia creatura potius est effectus divinae volitionis liberæ, quam ipsius constitutiva, & repugnat, effectum constituere causam suam in esse causa, sumendo causam quoad suam virtutem, & non quoad denominationem illam relativam, secundum quam dicuntur simul natura, & in hoc sensu opinio de connotatis supra est impugnata; in alio tamen sensu negari nequit, quin divinum decretum aliquo pacto connotet existentiam actualem, vel futuram creaturarum, velut ejus effectum, sicut causa, ut sic, significat suum effectum saltem concomitantem; volitio enim Dei libera non quomodocumque tendit in obiectum creatum, sed dando ei existentiam, vel eam positive negando, quod etiam in eo aliqualem facit mutationem; & idè nosser dicendi modus non patitur difficultates, quibus opinio de connotatis superius adducta est obnoxia; non quidem primam, quia gratis concedimus decretum Dei esse liberum antecederet ad existentiam creaturatum actualem, ac etiam futuram, quatenus est ejus causa; adhuc tamen concipi debet connexionem habere cum ea, tanquam cum effectu illud concomitante, & per mutationem in eo subsecutam ex vi divini decreti, quatenus virtute ipsius translata est creatura de ordine merè possibilium ad or-

dinem futurorum, optime salvatur, quod in secundo nature signo intelligatur liberè velle creaturatum, quam in priori signo ita velle non intelligebatur absque ulla sua mutatione; & quia sine tali mutatione ex parte creaturae nequit explicari, & bene concipi divina libertas, dicimus talem mutationem ex parte creaturae debere concipi cum divino decreto eo modo quo effectus concipitur cum causa, & sicut ex tali concipiente effectus cum causa non sequitur effectum spectare ad constitutionem suae causae, ita neque in proposito, quamvis cum divino decreto libero opus sit concipere mutationem aliquam in creatura ex ipso pendente, non hinc sequitur, aliquid ex parte creaturae spectare ad divinum decretum, ut essentiale constitutum ejus, sed tantum ut aliquod concomitans, & consequens; necessario tamen cum ipso intellectu, ut complete à nobis concipitur in ratione decreti liberi, & in hoc sensu dicebamus totum, id quod adequatè dicit volitio libera, non esse Deo intrinsecum, quia debet necessario concipi extrinsece mutatio facta ab ipsa in creatura, ad quam se se liberè determinat, sine aliqua intrinseca sui entitatis mutatione, & si in hoc sensu loqueretur quarta opinio, non erraret.

Sic quoque minime nos premit altera difficultas quam urgebamus n. 158. contra opinionem de connotatis, quod datur aliqua libera volitio in Deo, cui nulla correspondet productio ex parte creaturae, ut patet respectu non futurorum: non (inquam) nos premit, quia illa qualicumque mutatio, quam dicimus necessariam esse ex parte creaturae, ad concipiendum decretum liberum, non est realis simpliciter, sed obiectiva, quam proinde etiam creaturae non futuræ subire possunt, quatenus ex vi liberæ volitionis divinae, acquirunt aliquam habitudinem in ordine ad existentiam, quam in statu merè possibilitatis non habebant, nam in tali statu indifferentes erant ad esse futurum, & non futurum, ex vi verò supervenientis liberæ volitionis sunt non futuræ determinatè ad esse futurum, intelliguntur produci in quodam esse volito efficaci in ordine ad existentiam, quod est esse secundum quid; ita pariter, quando ex vi decreti negativi determinatur ad non esse futurum, dicuntur quasi produci, ut ita dicam, in quodam esse nolito, quod prius non habebant, dum erant sub puro statu possibilitatis.

Ex his pariter occurrunt replicis, quae fiebant num. 166. cum arguebatur de illa terminatione, an aliquid reale importaret, vel rationis; & si reale, an ex parte Dei, vel creaturae; dicimus enim, quod cum hujusmodi terminatio volitionis liberæ ad creatum non sit nisi casualitas, vel casualitas, quia divina voluntas dat existentiam creaturae realem in tempore, & obiectivam ab aeterno, planè est aliquid reale, non quidem intrinsece superadditum actu necessario divinae voluntatis, quia ut notat Doctor 2. d. p. q. 2. ad p. prin. actualis causatio nihil reale superadditum datur in eo instanti, quo causat, quod sit veluti medium inter ipsam causam, & effectum, sed ad absolutum in causa immediate sequitur absolutum in effectu, & in posteriori signo natura consequitur in effectu respectus dependentiae ad causam, & è converso causae ad effectum, si causa est relationis realis capax, quod si est incapax, ut est in proposito, nullus sequitur, sed dicitur divina voluntas causans per entitates absolutam sui actus fundamentalitè, ut ad ipsam sequitur immediate absolutum in effectu, & formalitè dicitur causa per solam terminationem dependentiae effectus ad ipsam, quae est pura extrinseca denominatio, quare in proposito terminatio divini decreti ad existentiam creaturae dicit aliquid reale superadditum ex parte creaturae, quae ex vi decreti liberi habet quandam specialem dependentiam in esse ad divinam voluntatem in ordine ad existentiam, vel non existentiam, quam prius non habebat in merito statui possibilitatis, & sic etiam est occurrentum replicae Ariag. num. 163. cum enim inferebat, si talis terminatio dicit aliquid reale, dum potuit ab aeterno ab esse, potuit consequenter aliqua entitas realis è Deo abesse, negatur haec consequentia, quando quidem non dicit aliquid reale Deo intrinsecum, ac veluti ei superadditum, sed aliquid reale ex parte creaturae.

OBJECTIO SECUNDA.

Secundò obiicitur alia difficultas non minus ardua pro opinione Cajetani, quam proponit Suarez loc. citat. Impossibile est, ut eadem forma secundum eandem omnino rationem realem det aliquam intrinsecam denominationem.

tionem, & eadem omnino manens, & eodem modo informans, vel quasi informans, aut conjuncta supposito potest non dare illam denominationem; Sed Deus denominatur volens creaturam ab aliqua forma, seu ipsa forma reali, & intrinsece in ipso existente; ergo impossibile est, quod illa denominatio proveniat ex vi solius perfectionis formalis, & essentialis necessario convenientis Deo; probatur consequentia, quia haec denominatio, ergo quasi effectus formalis non convenit denominatio Deo; ergo non potest formalitè provenire à perfectione simpliciter necessaria in Deo, nam haec cum sit eadem, & eodem modo conjuncta Deo, non potest nisi eandem necessariam denominationem semper tribuere, aliàs eadem forma eodem modo unita posset novum, vel diversum quasi effectum formalem tribuere, quod intelligi non potest. Conf. nam in ipa aeternitate voluntas divina prius ratione, quam velit hoc, illud obiectum extrinsece se, intelligitur potens ad volendum, vel nolum, illud, alioquin non esset libera, & in eo signo intelligitur cum tota perfectione, quae necessario est in ipsa, & deinde intelligitur actu volens tale obiectum; ergo necesse est, ut aliquid reale Deo aditè intelligatur, à quo talis denominatio, & quasi informatio orta fit; patet consequentia, quia illa denominatio non est tationis, sed realis, quia verè, & in re ipsa Deus vult, & amat tale obiectum, & est denominatio intrinseca, quia vitalis, ac etiam nova, si non duratione, saltem naturae ordine, & separabilitate, quia absolute loquendo posset non esse in Deo; ergo opus est, ut proveniat à forma reali intrinseca, & ex se separabilis ab omni re, & perfectione, quae necessario convenit Deo.

174 Respondet idem Suarez ibi num. 44. & nosser Vulpes cum ipso. Ponticus disp. 6. nu. 11. ac ceteri passim nostrae opinionis sectatores, majorem esse veram de forma finita, & limitata, falsam verò de infinita, & illimitata, sicut est actus divinae voluntatis, qui ob talem infinitatem, sicut potest fieri absque media unione uniri, & non uniri secundariis obiectis, ita Deo volenti denominationem realem praestare, & non praestare, unde haec est eminentia, & praesentia illius actus, ut iuxta exigentiam obiectorum tendat in illa, & idè, licet sit eminentius in se, potest secundum tendentiam ab aliquo obiectum liberam denominationem dare. Ad Conf. respondet Vulpes per idem negando consequentiam, quia sicut actus ille ob sui eminentiam seipso unum obiecto, cui vult esse, ita realis denominatio à sua entitate sumit ab additione reali. In hoc ergo, inquit Suarez cit. num. 38. consistit eminentia hujus mysterii, quod hic actus apprehenditur, ut forma quadam, quae secundum totam realitatem suam necessario est in Deo, se est ipse Deus, & tamen non necessario confert quasi adequatum effectum formalem, quem confert potest in ordine ad extrinseca obiecta, sed est in manu, & potestate habentis talem actum, per illum tendere, vel non tendere in talia obiecta, & cum tendit, verè illa amat, & vult, & nihil idè plus habet, quam si non amaret; hoc autem, quod explicamus per modum forma, & quasi effectus formalis, est in Deo longe eminentiori, & altiori modo, & idè licet in formis imperfectis nunquam possit accedere, ut eadem omnino forma necessario existens in subiecto, non confert illi totum formalem effectum suum, ac proinde in voluntate creata non possit intelligi, quod necessario habeat aliquis actum volendi, & nihilominus sit in manu ejus velle, aut non velle per illum actum aliquod obiectum, at tamen quia velle divinum non est forma informans, nec actus actuus, sed actus purissimus altiori modo intelligendum est, constituere volentem, & attingere obiecta cum eminenti quadam potestate ad attingendum, vel non attingendum secundaria obiecta, nulla in ipso actu mutatione, vel reali additione facta; quod etiam nonnulli explicare conantur falso exemplo ejusdem relationis patrem ad plures filios referentes.

175 Haec tamen solutio difficultatem emollire non videtur, sicut enim cum nos Scotista later essentiam, & relationes divinas distinctionem ex natura rei formalem altissimi ex illo axiomate, quia de eodem secundum idem contradictoria verificari non possunt, verificarentur autem, sit ita non distinguarentur, quia essentia communicatur, relatio non communicatur, relatio v. g. filioque productur, non essentia; dum Adversarii recurreunt ad infinitatem, & illimitationem divinae essentiae, & dicunt, quod licet in creatis eodem contradictoria verificari non possint ob limitationem, secus est in Deo; statim instamus neq; etiam in divinis neganda esse prima principia ob illimitationem ibi repositam, quia fundatur in terminis praesidentibus à

creato, & increato, finito, & infinito; ut dicebamus supra in hac disput. num. 25. Ita etiam pariter in proposito instabant Adversarii contra nos, quod propter divinam eminentiam non debet illud axioma negari, forma in se invariata, & eodem modo conjuncta subiecto, vel supposito semper eandem praebet denominationem, & implicat, quod eam modò tribuat, modò non tribuat nulla prorsus variatione facta in ipsa nam ex hoc sequitur manifesta contradictio, quod sit eadem forma, & non sit eadem; ratio est, quia effectus formalis forma, sive ejus intrinseca denominatio non est quid distinctum ab ipsa forma, vel causa formali, ut evenit in genere causae efficientis, sed est ipsamet forma intimè subiecto conjuncta per sui exhibitionem, ergo si absque ulla prorsus variatione modo praestat effectum formalem, modò non, sequitur esse eandem formam, & non eandem, esse subiecto unitam, & non unitam. Confim. forma tribuit suum effectum formalem per exhibitionem sui in subiecto capaci, ergo implicat, ut se ipsam totam exhibeat subiecto capaci, & illi adequatè non tribuat totum effectum formalem, quem in se ipsa formalitè continet, sed adhuc fit in manu, & potestate habentis talem actum, per illum tendere, vel non tendere in talia obiecta; consequentia probatur, quia forma non dat suum effectum formalem liberè, sed necessario, quandoquidem illum non praestat in genere causae efficientis, in quo tantum est liberitas, sed in genere causae formalis, in quo nulla est liberitas; ita quoque instat Amicus disput. 14. citat. contra nostrum dicendi modum.

Si Dicas, solam libertatem actus divinae esse sufficientem causam, ut possit terminari modo ut volitio, modò ut nolitio, modò necessario, modò contingenter. Contra rursus instat Amicus disp. cit. numer. 63. quia haec terminatio est in genere causae formalis, in quo non potest esse liberitas, non enim sumus liberi ad ea, quae continentur formalitè, sed tantum ad ea, quae continentur efficienter; cum igitur actus divinae volitionis non efficienter, sed formalitè contineat hujusmodi terminaciones ad obiecta creata, non potest in ordine ad hujusmodi terminaciones esse liber, ut modò tribuat unam, modò aliam terminacionem; nam hoc supponit hujusmodi terminaciones non contineri formalitè in actu, siquidem implicat id, quod continetur formalitè in actu, non esse formalitè in Deo. Si dicas mutari actum divinum non subiectivè, sed terminativè, & in hoc consistere ipsius libertatem, quia qui modò terminatur ad obiectum, ut volitio, potuit ob suam libertatem terminari, ut nolitio. Contra rursus instat hic Auditor ibidem; hoc enim est quod reparatur impossibile, posse effectum formalem variari invariata forma quoad omnia requisita ad novum effectum formalem tribuendum; cum igitur terminatio actus divinae ad obiectum sit effectus formalis ipsius actus divinae, ut possit variè terminari ad obiectum, debet necessario ipsius effectus formalis variari, cum tamen ipsa forma invariata maneat quoad omnia requisita ad novum effectum formalem tribuendum; quippe quae nec variatur in se, cum sit ipse actus increatus de se invariabilis, nec variatur in subiecto in quo est, quia subiectum est ipse Deus, cui inest per identitatem, non per inhaesionem.

Ob has, & similes instantias fatendum est, responsum communem ad 2. objectionum positum num. 174. non plenè satisfacere, dicendumque ex doctrina praemissa num. 168. falsum esse hujusmodi terminacionem actus divinae voluntatis, aut tendentiam quocumque modo nominetur exerceri in genere formalis causae, cum potius exerceatur in genere causae efficientis, ut optime Fasolus q. 19. cit. num. 57. notavit ex Scoto p. d. 39. quandoquidem divina volitio libera, dum ad creaturas actuales terminatur, non quomodocumque fertur in eas, sed dando existentiam, realem quidem in tempore, obiectivam ab aeterno; licet ergo divina volitio respectu obiecti primarij considerata possit ad Deum comparari, tanquam forma ad subiectum, cui inest per identitatem, sub qua ratione necessario praestat adaequatum, & totalem effectum formalem suum, quatenus facit Deum necessario seipsum amantem; tamen considerata respectu creaturarum actualium non bene comparatur ad Deum tanquam forma ad subiectum, sed potius comparari debet tanquam ratio agendi, vel tanquam ipsa casualitas ad causam efficientem, quia per voluntatem, ut ad creaturas comparatam, sive ad amorem creaturarum, non recipit in se Deum formalem aliquam perfectionem, ut imaginabatur Cajetanus, sive aliquam realem entitatem; ex qua in se subiecti-ve recepta habere debet aliquem formalem effectum; sed solum est causa effectiva liberè immutans obiectum, & pro-



ducens aliquem effectum, in esse reali simpliciter in tempore, & in esse secundum quid ab aeterno; unde frustra laborat Amicus; dum semper inculcat effectum formalem amoris divini erga creaturas actuales, nam amor creaturarum in Deo non est, ut forma respectu subjecti, sed ut causa respectu effectus, & ideo frustra queritur aliquis effectus formalis eius Deo intrinsece additus, nam solum queri debet aliqua mutatio objectiva extrinsece facta à volitione divina in objecto creato extra se; per quam doctrinam quoque plenè satisficit 2. objectioni, ejusque confirmationi posite sub n. 173. cum applicando ad formam argumenti, quod semper supponit terminationem divinae volitionis liberæ ad creaturas actuales exerceri in Deo in genere causæ formalis, comparatque amorem creaturarum ad Deum, sicut formam ad subiectum, cum potius comparari debeat, tanquam ratio agendi ad causam efficientem, quod etiam perperam supponit Amicus in suis instantiis.

178

Sed rursus instat hic Auctor ibidem, quoniam in nostra sententia volitio Dei antecedit omnem mutationem objecti, nam ideo objectum mutatur in se, quia Deus antecedit vult illud; igitur prior est volitio libera Dei, quam mutatio ipsa objecti, non igitur potest divina volitio in ratione liberæ volitionis pendere ab ipsa mutatione objecti consequente, quia anteceditur ad eum supponitur volitio, vel nolitio libera Dei; ergo si ex hoc capite novus effectus formalis, sive nova denominatio liberi sumi nequit, semper stat argumentum, quod datur novus effectus formalis sine nova forma, vel conditione per se requisita ex parte formæ ad novum effectum formalem tribuendum, quod implicat. Verum ad hanc instantiam patet ex dictis num. 170. ubi explicatum est mutationem extrinsecam creaturæ cointelligendam esse cum decreto libero Dei, ut sic, non tanquam aliquid illud antecedit, sed potius tanquam concomitans, & consequens per modum effectus unde propriè non concurrat, ut essentialiter constitutum ejus, ut contendeat Amicus, sed ex vi illius datur necessariò cointelligi, ita quod non completè perciperemus, cur Deus liberè velit creaturas quoad existentiam in hoc signo naturæ, & non in precedenti, & ita velit in hoc signo, ut potuerit non velle; nisi concipiamus quoque mutationem in creatura concomitantem, vel subsequenter ex vi decreti liberi; nam statim ex ea apparet volitionem Dei in creaturas tendentem non esse necessariam, sed liberam, & contingentem, quia est cum ordine ad extrinsecum objectum, quod potest esse, & non esse, ubi ly quia dicit notam duntaxat concomitantiam ex parte objecti, non autem causalitatis, & efficientiæ, quæsi contingencia objecti faciat contingentiam actus divinae voluntatis ad extra, cum res è contra se habeat, quod divina voluntas est prima radix omnium contingentium, etiam si formaliter, ac entitative sit ens summè necessarium in se.

179

Alterum instat Amicus num. 68. id non dici coherentem in nostra sententia: illud sine quo nequit res esse, vel intelligi sufficienter ab alia distincta, ingreditur essentiam rei, etenim totum illud ingreditur quidditatem rei, quod necessarium est, ut res essentialiter distinguatur ab omni alio, quod non est ipsa, cum eadem sint principia distinctiva, & constitutiva rei; sed nequit libera Dei volitio esse, aut intelligi sine extrinseca terminatione, seu connotatione objecti, ut nos fatemur; ergo hæc ingreditur essentiam liberæ volitionis divinae. Conf. quoniam sola extrinseca terminatione, vel connotatione objecti præcisâ, quicquid in volitione divina remanet totum est intrinsecum, & increatum, ac proinde necessarium; ergo sola, & præcisâ terminatio, seu connotatio extrinsece objecti complet illam in ratione liberæ volitionis; assumptum patet ex dictis contra Cajet. consequentia probatur, etenim si quicquid intrinsecum est in volitione divina, necessarium est, non potest per aliquid, quod in ipsa intrinsecum est, constitui seu compleri in ratione liberæ volitionis, quæ indifferentiam dicit ad esse, & non esse.

180

Respondeo argumentum contra ejus Auctorem quoque militare, qui docet numer. 79. productionem extrinsecam formaliter complere liberam Dei volitionem, non quidem in recto; & constitutivè, quia nequit non vitale formaliter, & constitutivè complere perfectionem vitalem, qualis est libera Dei volitio; sed in obliquo tantum, & connotativè, ut formaliter, & constitutivè dicit solum actum intrinsecum; connotativè verò productionem extrinsecam; argumentum verò contra nos ab ipso propositum probat productionem extrinsecam, quam ipse petit tanquam connotatum ad complendam liberam Dei volitionem,

etiam formaliter, & constitutivè ad eam constringere, quia libera Dei volitio etiam secundum ipsum nequit esse, aut intelligi absque tali extrinseca productione; quare & ipse nobiscum in solidum tenetur ad argumentum solvendum. Dico igitur illam majorem valere in absolutis, non in connotativis, in quibus id, per quod differunt, non primariò significatur, sed connotatur, ut inductione patet in omnibus; sic v.g. privato à negatione differt, quia est in subiecto apto, non verò negatio; nec propterea dicimus aptitudinem esse rationem formalem, ac principalem significativam privationis; ejus enim essentia consistit in simplici carentia, nec differt à negatione, nisi ratione connotati, quam doctrinam dedisse recorder disp. 4. Phys. num. 7. & disp. 11. quest. 2. art. 1. in fine declarando quomodo immobilitas spectet ad definitionem loci, & recipere debet P. Amicus in gratiam saltem Fratris ejus P. Bartolomæi Amici eam quoque docentis 4. Phys. tract. 20. quest. 4. dub. 4. art. 2.

Ad Conf. distinguenda est in velle divino libertas in actu primo, & in actu secundo, velle divinum, seu divina voluntas ut in aliquo priori concipitur cum indifferentia ad opposita objecta, ita ut ex duobus oppositis objectis volibilibus concipitur quæsi habitualiter potens velle, aut decernere, ut sit, vel futurum sit unam, & non aliud, in hoc, inquam, sensu velle divinum dicitur liberum in actu primo; quando verò in posteriori signo nature, vel ratione concipitur actu tendere in hoc objectum communicando ei existentiam, ita ut in eodem signo poterat etiam non tendere in illud, sic dicitur velle liberum in actu secundo; ad explicandam libertatem divinae volitionis in actu secundo utique exigitur actualis terminatio, aut connotatio objecti extrinsece, cui communicat existentiam, non tamen ad explicandam libertatem ejusdem in actu primo, unde absolute loquendo falsum est, quod præcisâ actuali terminatione, seu connotatione objecti, quicquid in divina volitione remanet sit necessarium, ut necessitas libertatem excludit; adhuc enim divinum velle, quavis sit necessarium in essendo, in illo priori, ut præcisâ ad actuali terminatione, dicitur liberum in actu primo, quatenus est activè indifferens ad tendendum, & non tendendum in ordine ad creaturas, seu objecta secundaria. Imò quia ut discretè docet Scotus p. distin. 39. §. quantum ad secundum voluntas etiam quando concipitur sub actuali volitione adhuc cum indifferentia operari concipitur, quoniam etiam quando vult, liberè vult & in eodem signo potest tendere in oppositum disjunctum; licet in eo signo connotet mutationem in objecto sequentem ex vi decreti liberi, ut ejus effectum, adhuc etiam independentem ab ea concipitur in divina volitione libertas, in ipso quod concipitur cum intrinseca indifferentia ad non tendendum etiam quando actualiter tendit, quia ut ait Doctor voluntas, etiam ut actu tendens est prior hæc tendentia; unde etiam falsum est assumptum loquendo de velle libero in actu secundo, quia præcisâ actuali terminatione, licet remaneat velle divinum omninò necessarium in essendo, adhuc tamen retinet intrinsecam illam indifferentiam activam, quæ est de ratione libertatis; tàm in actu primo, quam in actu secundo, ad non tendendum etiam cum actu tendit, & ideo negatur consequentia; de qua indifferentia vide dicta disp. 7. de Anim. quest. articulus 2. numer. 12. & seqq. & hæc Doctrina valde notanda est pro solutione præsentis difficultatis.

OBJECTIO TERTIA.

Tertio principaliter obicitur, quia impossibile est transire à contradictorio in contradictorium, nisi facta aliqua mutatione, vel additione in altero extremo, sed Deus, ut volens necessariò, & ut volens liberè in actu primo, sive cum indifferentia ad volendum hoc, vel non volendum hoc, non est volens liberè in actu secundo id est non vult hoc potius, quam oppositum, & in posteriori signo intelligitur fieri volens liberè in actu secundo, ac proinde transire de non volente liberè in liberè volentem, quod est transire de contradictorio in contradictorium; ergo est necessaria aliqua mutatio, vel in Deo, vel in creaturis; sed non potest assignari mutatio ex parte creature, ergo debet assignari ex parte Dei per aliquid sibi de novo additum. Minor subtilata probatur multipliciter; primò, quia velle divinum veratur etiam circa possibilia, quæ nunquam sunt futura, in quibus aliqua mutatio nec quidem objectiva assignari potest; secundo quia creaturæ non sunt, nisi temporales, volitio Dei est in æter-

ternitate, ergo saltem in tota æternitate est transitus de contradictorio in contradictorium absque vlla mutatione; quod si dicas, creaturas in æternitate recipere esse futuras à volitione libera Dei in actu secundo, quod non habebat in priori signo, cum erat Dei volitio libera tantum in actu primo; Instat Ariag. disp. 29. num. 9. quia futuritio duo dicit, unum est negativè nisi hodie, alterum existentiæ etas futura, unde de presenti iam nihil est, quàm si res non esset futura, cum quia nullus audebit dicere ante productionem creaturarum fuisse ab æterno aliquid reale præter Deum; ergo illa futuritio nullam facit mutationem in creaturis. Tertio, quia creaturæ conditionaliter future, nec in tempore quidem mutantur; quia nunquam ab solutè sunt, & tamen illas aliquando Deus liberè vult. Quarto, quia potest Deus liberè velle aliquid morale absque ulla reali variatione creaturæ, nam potest verb. gr. mihi velle relaxare absque ulla mutatione in me facta; aut peccata remittere per extrinsecam duntaxat condonationem ut Scotus concebit 4. d. 16. q. 2. Quarto tandem, potest Deus liberè aliquid velle ob diversis finis, vel causas morales, ut gloriam nobis velle potuit dependenter, vel independenter à nostris meritis, eandem Pauli conversionem dependenter, vel independenter à Stephani oratione; & consequenter cum diversis actibus liberis, licet in effectu nulla sit physica mutatio.

Respondent aliqui ex Auctoribus nostre sententiæ posse in Deo intelligi transitum à contradictorio in contradictorium scilicet non volentis creaturas ad contradictorium volentis esse sine aliqua mutatione facta in se, neque in objecto propter eminentiam sui actus. Verum replico rursus, quod supra diximus n. 175. in solutione præcedentis difficultatis, quod prima principia, & universalia axiomata neq; in divinis sunt negantia propter infinitatem, quoniam fundantur in terminis præfinitis creaturæ, & increato, finito, & infinito; tale verò est axioma illud, quod nequit fieri transitus, &c. Fundatur enim in natura entis, & non entis simpliciter, inquam sine simplici tali quæ si modo sit aliquid, quod non erat, ergo modo est aliquid ens, quod antè non erat, quæ est mutatio acquisitiva; verò aliquid modo non est, quod antè erat, ergo prius erat aliquid ens, quod nunc non est, quæ est mutatio perditiva; ergo hoc principium est universaliter verum sive in creatis, sive in divinis, & oppositum est in intelligibile; quare ex eminentia, & infinitate actus divini solum deducitur potest, quod in tali transitu nulla in ipso sequatur mutatio, nequaquam tamen quod non sequatur saltem ex parte creature, alioquin si in nullo extremo sit mutatio, non est mutatio, quare magis nunc patens contradictio sit vera, quàm alia, & prius alia vera magis, quàm nunc, ut notat Scot. 4. distin. 16. q. 2. lit. F. ubi hæc maximam admittit etiam in divinis veritatem habere.

184

Itaque concessio toto primo discussæ neganda est subtilata minor, quod in eo qualicumque transitu non possit assignari mutatio aliqua ex parte creature saltem objectiva, & secundum quid in æternitate realis, & simpliciter in tempore; & ad primam probationem ejus negatur assumptum quoad secundam partem; jam enim supra declaratum est n. 171. quomodo etiam creaturæ nunquam future aliquam mutationem objectivam subire possint in suo ordine ex hoc ipso, quod ex vi decreti liberi sunt determinatè non future, cum in priori statu mere possibiles in æternitate essent ad utrumque statum scilicet futuritatis, & non futuritatis. Ad secundam, in æternitate non est necessaria realis mutatio in creatura, nam hæc habetur solum in tempore, sed satis est mutatio objectiva; quam subit creatura possibilis in æternitate eo ipso, quod ex vi decreti liberi intelligitur habere realem habitudinem ad existendum in tempore, qualem ex se non habebat in puro statu possibilitatis; quia ratione etiam dici potest actus liber facere mutationem realem aliquo modo in creatura ab ipsa etate æternitate, si non formaliter, sicut facit in tempore, saltem radicaliter, quatenus ex vi talis decreti ab æterno creatura manet ordinata, & determinata ad formalem mutationem in tempore; per quod etiam patet ad instantiam Ariag. quæ probat tantum esse futurum in creaturis ab æterno non ponere aliquid esse reale actuè simpliciter, quod vocatur esse reale verbaliter, & consequenter in eis non facere mutationem simpliciter realem; at tamen non probat, quod non ponat in eis aliquid esse reale saltem nominaliter, si enim tale esse reale participant creaturæ possibiles, tantò magis futuræ, quæ aliquid ulterius habent objectivè, ac etiam in æternitate præter possibilitatem; atque ita non probat, quod futuritio non faciat in eis mutationem aliquam objectivam, seu realem secundum quid formaliter, imò etiam realem simpliciter radicaliter modo jam explicato. Ad tertiam, si dicamus, futura conditionata esse propriè futura in suo ordine nempe de-

pendentè à conditione, & non esse in ordine duntaxat mere possibilem, ut ajunt Thomistæ, dicendum est, cum Deus illa liberè vult, succedere in eis mutationem simpliciter proportionatam, quatenus ex vi decreti conditionati transiunt de priori statu puri possibili ad diversum alium statum futuri conditionati, quæ esset sufficiens mutatio objectiva in æternitate eis correspondens; cui etiam corresponderet proportionata mutatio realis in tempore, non quidem, quæ realiter aliquando futura sit, quia tunc non essent futura conditionata, sed absoluta, sed quæ aliquando realiter futura esset, si ponerentur tales conditiones, de quo Cusius disp. seq. n. 262.

185

Ad 4. negant quàm plures assumptum cum ejus probationibus, nimirum peccatum remitti posse absque propria retractione peccatoris, & infusione gratiæ habitualis; Sed hoc solidè impugnat Scotus 4. dist. 16. quest. 2. Alii verò cum Suarez opus. de scientia Dei lib. 2. c. 7. n. 10. & Cusius par. 1. tract. 2. lib. 2. cap. 15. dicunt ad liberum Dei decretum esse quidem necessariam mutationem aliquam ex parte creature, hæc tamen non esse debetè necessario semper physicam, & realem, sed satis esse moralem, & ita contingeret in proposito de relaxatione voti, aut remissione peccati per solam extrinsecam condonationem, etenim absque ulla physica mutatione, nec ex parte Dei, neque ex parte hominis, sed per solam moralem ex parte ipsius facilè intelligitur, posse Deum remittere obligationem alicujus voti, vel precepti, & reatum penæ debite pro peccato, ita Fasol. p. 1. q. 19. n. 71. Machin. disp. 34. sect. 2. Gonzalez. disp. 44. n. 23. Aznel tom. 1. varium disp. pag. 177. & alii quàm plures. Atque hoc Scotus placet loc. cit. sub lit. I. ubi docet, quod sola novitas, & mutatio entis rationis, per quam intelligitur mutacionem moralem, non sufficit ad salvandum transitu à contradictorio in contradictorium, sed requiritur realis, & physica in altero extremo, ut etiam fateretur Averis loc. cit. Er ratio est, quia nullum ens rationis, sive morale est novum, nisi per novum actum voluntatis, vel intellectus, ubi ergo est novum ens rationis, vel morale, ibi quoque necessario intervenire debet mutatio aliqua realis, & physica, non quidem inter illa, quæ sunt entis rationis, sed inter actum, & non actum voluntatis, & intellectus, quæ sunt entia realia. Confirm. quia impossibile est intelligere novam mutationem realem absque nova forma physica, ad cuius positionem illa conflatur, cum omnis mutatio moralis fundetur in physica, & reali; cum ergo talis mutatio nequeat in casu nostro poni in homine, cui supponitur peccata esse remissa per extrinsecam condonationem, opus esset, quod poneretur in Deo vota relaxante, aut peccata dimittente, quod est impossibile; probatur assumptum ex exemplo ab Averis adducto, si Petrus Paulo con donat injuriam illatam, & tali condonatione utrique in Paulo non sequitur nisi mutatio moralis, quia talis condonatio injuriæ sit solum per extrinsecam acceptationem, at hæc necessariò supponit mutationem physicam in Petro, ex eo namque Paulus non est amplius Petrus intensus, quia Petrus actum odii, vel indignationis revocavit, & actum amoris erga Paulum elicit. Confirm. adhuc, nam ista moralis mutatio in creatura aliud esse non potest, quàm nova denominatio in ipsa creatura confurgens ex actu divina voluntatis, per quam modo dicitur Deo amicus, & gratus, ubi prius talis non erat; & hæc denominatio sumitur ab actu voluntatis divine, modo Petrus acceptantis, & non antè; ergo actus ille aliter modo terminatur ad Petrum, quàm terminatur antè, præter namque terminatur ad ipsum per modum averfionis, & odii, nunc verò per modum acceptationis, & amoris; implicat enim actum divinum eodem modo ad creaturam terminari, & novam, ac penitus diversam denominationem conferre, quàm antè; cum non possit forma quoad omnia invariata novum effectum formalem, vel denominationem conferre, ut supra diximus.

186

Potius ergo respondendum est cum Doctore lic. cit. in præfatis casibus, quod Deus votum relaxaret, aut peccatum dimitteret sine infusione gratiæ, nullam intervenire contradictionem, nam potuisset Deus ab æterno velle, ut qui hodie v.g. peccat, maneat ordinatus ad penam toto præfenti anno 1642. non sit autem obligatus ad eam elapso hoc anno, & in hoc nulla profus est contradictio, quia contradictoria, ut esse in peccato, & non esse in peccato, esse, & non esse obligatum ad penam verificatur solum pro diversis temporibus, pro quibus non sunt in composibilibus; ita Scotus loco cit. lit. M. ubi ait, in æternitate hæc est vera, ista pro A. est ordinatus ad penam, & ista pro B. non est ordinatus ad penam, nec ista sunt contradictoria, neque sibi succedentia in veritate, sed sunt vera pro diversis nunc temporibus sibi succedentibus, sed in voluntate divina simul existentibus.



bus, quibus in eternitate ambae illae propositiones sunt verae per relationem ad diversa temporis instantia, atque ideo non sunt contradictoriae, quae ut repugnant referri debeat ad identitantes. Ad ultimam denique probationem dicendum variationem in illis casibus salvari potest diversam motuorum connotationem, quibus supponitur Deus proxime moveri ad producendum eundem effectum, nam ex tali diversitate resultat in ipso effectu diversa dependentia ab hoc vel illo motivo sine ulla intrinseca variatione divini actus; ut ver. gr. in exemplo proposito si Deus decrevit nobis dare gloriam dependentem a nostris meritis, ex tali dependentia gloria dicitur nobis dari, ut merces, praemium, & corona bonorum operum; si vero decrevit dare independentem a meritis, sed ex mera sua liberalitate, & misericordia, tunc gloria non dicitur dari nobis, ut merces, & praemium, sed ut donum mere gratitudo; & sic pariter dicendum in similibus casibus quod variatio, & diversitas motuorum semper aliquam inducit variationem in effectu; Haec tertia difficultas deducta ex transitu contradictoriorum adducitur a Mairon. par. d. 46. quest. 1. art. 2. ad probandum, quod divina voluntas ab aeterno per decreta libera produxit creaturas in quodam esse volitivo efficaci; quod vocat esse secundum quid, quod prius in puro statu possibilitatis non habebat, & ratione talis mutationis in creatura dicit salvari transitum illum, quo intelligitur praedestinare Petrum, quem praedestinare non poterat, cum enim tali mutatio ex parte Dei assignari non possit, opus est, ut assignetur ex parte creaturae, non in esse simpliciter, quia tale non habetur nisi in tempore, ergo in esse secundum quid; de hoc puncto videtur Aversa q. 19. sect. 12. ubi disputat. An decretum Dei esse nequeat, quin ponatur aliqua physica mutatio ad extra.

OBJECTIO QUARTA.

187 **Q**uarto obicitur specialiter contra nostrum dicendi modum ea ratio, quam urgebamus supra contra Aureolum num. 143. tendentiam namque divinae volitionis in creaturas jam num. 168. explicavimus per modum cujusdam causalitatis, quam circa illas exercet, non enim quomodo cumque in creaturas tendit per suam libertatem, sed illas ordinando ad existentiam in tempore, vel non ordinando per positivum decretum; ergo jam explicamus libertatem divinae voluntatis, quatenus est productiva ad extra cum Aureolo, non quatenus operativa cum Scoto loc. cit. Tum quia libera Dei volitio est actus immanens, cum sit actus vitalis, at efficiere est actio transiens; ergo non bene explicatur divina libertas per hoc, quod possit aliquid ad extra producere, vel non producere. Tum 3. nequit non vitale formaliter, & constitutive complete perfectionem vitalem, sed libera Dei volitio est perfectio vitalis: igitur non potest formaliter, & constitutive compleri per extrinsecam productionem effectus sive in esse simpliciter; sive in esse secundum quid. Tum 4. quia indifferentia voluntatis in actu primo determinatur in actu secundo per aliquid sibi intrinsecum, ut patet in nobis, nam per hoc exercetur ejus libertas; ergo non bene dicitur divina voluntas determinari per extrinsecam productionem creaturae sive in esse simpliciter, sive in esse secundum quid. Tum denique quia ante quamcumque originem ad creaturam volitio Dei praecipitur complete libera, nam est causa creaturarum quatenus libera, quare ut libera praecedat earum productionem tam simpliciter in tempore, quam secundum quid ab aeterno; ergo explicari debet omnino independentem ab eis ita ut totum id, quod importat velle liberum ponatur in Deo praefixo quoocunque ordine ad creaturam.

188. **R**esponderetur satis patere ex dictis quantum distet noster dicendi modus ab illo Aureoli relato n. 139. ipse namque nullam aliam videtur in divina voluntate libertatem agnovisse, nisi ad oppositos effectus in tempore producendos unde proprie negat Deum aliquid ab aeterno voluisse liberè, at nos ponimus divinam voluntatem liberam, in quantum operativam circa opposita objecta creata; & quia ejus operatio est efficax, ponimus eam quoque liberam, ut productivam, non tantum in tempore, ut ajebat Aureolus, sed etiam ab aeterno, quatenus volendo creaturæ ab aeterno existentiam pro tali temporis differentia, producit eam tunc in quodam esse volitivo efficaci, quod appellat esse secundum quid; postquam enim dixit Scotus salvandam esse divinam libertatem, & explicandam, quatenus divina voluntas est operativa p. d. 39. s. iuxta praedicta subdit in fine, & tamen potest salvari in ea aliqua li-

bertas, in quantum productiva, licet enim productio in esse existente non concomitetur necessario operationem ejus, quia operatio est in aeternitate & productio in esse existente est in tempore, tamen operationem ejus necessario concomitatur productio in esse volito, & tunc non potest potentia illa voluntatis divina primo quidem esse, ut productiva, sed secundum quid, scilicet in esse volito. & ista productio concomitatur eam, ut operativa; ita Doctor, ex quo patet, quod sibi non negat libertatem convenire voluntati divinae, etiam quatenus productiva, sed negat convenire, sicut convenit voluntati creatæ, quae est libera, quatenus est in se productiva oppositorum actuum, & eorumdem receptiva, ut sit libera ad opposita objecta. Ad 2. cum dicebamus n. 143. contra Aureolum velle, & efficiere non esse idem in Deo proprie, & formaliter loquendo, sermo erat de efficiere in tempore, & producere creaturas in esse reali simpliciter, nam velle ex sua primaria significatione non est efficiere in hoc sensu, sed est operari, & attingere volitum in ratione objecti vitali quodam modo, non autem in ratione effectus; non enim est de ratione ejus, ut sic, quod ponat in esse simpliciter velut effectum, quem attingit vitaliter in ratione objecti, atque ideo dicitur actio immanens formaliter, quia potentiam, cui inesse, denominat intrinsece operantem per informationem vel identificationem cum ea; cum hoc tamen fiat etiam, quod sit productiva sui objecti in esse secundum quid, scilicet in esse volito, ex Mairon. cit. imò quando volitio est efficax, & omnipotens; ut est divina volitio, ponit suum objectum in esse simpliciter in eo signo, pro quo vult existentiam, unde quamvis sit actio formaliter immanens, adhuc tamen est actus virtualiter transiens, quod actioni vitali non repugnat.

Ad 3. concedimus totum, quamvis enim terminationem actus divini liberi ad creaturam, explicemus per quandam causalitatem, non propterea dicimus aut huiusmodi causalitatem, aut effectum ejus spectare ad actum Dei liberum formaliter, ut adentiam ejus constitutivum, sed tantum connotative, & terminative, ut ejus objectum, & effectum; eo modo quo quilibet vitalis actus postulat, ut secum intelligatur objectum, in quod tendit, & causa effectum, in quem exercet ejus virtutem, & causalitatem, ut dictum est num. 170. Ad quantum indifferentia voluntatis, sive creatæ, sive increatae, nunquam determinatur ab alio, sive intrinsece, sive extrinsece, cum ejus indeterminationem, vel indifferentiam non sit passiva, sed activa, unde absque ulla previa determinatione ipsa ex vi sua indifferentia, & virtutis activae seminatione ipsa ex vi sua indifferentia, aut in se metipsum immediate determinat in actu secundo, aut in se producendo actum, ut contingit in nobis, aut tendendo, hoc vel illud objectum ad libitum per actum improductum, hoc vel in divina voluntate in ordine ad existentiam; unde non dicimus voluntatem divinam determinari per aliquid extrinsecum, vel ab alio extrinseco, ut assumitur in argumento, sed aliquid extrinsecum, quod indicat indifferentiam activam absque ulla intrinseca determinatione superaddita, qua indiget voluntas creata, non ratione volitivit liberi ut sic, praecidendo à creatore, & increato, sed ob imperfectionem suae potentialitatis, & finitatis in genere volitivo.

Ad ultimum concessio antecedente distinguo consequens, debet volitio libera Dei explicari independentem à creatura, ut à formali, & essentiali ejus constitutivum, concedo; tanquam à connotato, vel aliquo concomitante, velut effectus concomitatur suam causam aut causantem, & sic nego; nam si voluntas divina est causa creaturarum per sua decreta libera, plane implicat ea concipere sine ordine ad creaturas, unde creatura connotative, vel terminative spectat necessario ad decretum Dei liberum, esse non formaliter, & constitutive; quomodo autem divina volitio dicatur formaliter, & essentialiter libera etiam in actu secundo independentem à mutatione ejus virtute in creatura subsequente, satis declaratum est supra n. 181. ubi diximus libertatem divinam volitionis consistere formaliter non quidem in ea mutatione, sed in indifferentia activa, quam voluntas retinet etiam in ipso actu secundo, & per quam ita dicitur tendere in hoc objectum creaturam, ut in eodem instanti possit non tendere diffusim, vel in oppositum tendere, mutatio vero creaturam concomitans ex tali tendentia pertinet ad ejus libertatem terminative solum per modum effectus subsecuti.

OBJECTIO QUINTA.

190 **Q**uinto obicitur, vel volitio libera in Deo est denominatio totaliter intrinseca, vel totaliter extrinseca, vel partim intrinseca, partim extrinseca, vel quia quicquid est Deo intrinsecum, est necessarium, atque ideo denominacionem liberam praestare non potest; non secundum, quia cum sit actio vitalis non potest esse denominatio totaliter extrinseca; & ob eandem rationem neque retinere videtur admitti posse, quia actio vitalis est denominatio totaliter intrinseca, nec aliquid extrinsecum potest intervenire, nisi terminative, vel objective id est quatenus objectum, & terminus talis actus.

Respondes, alius Deum liberos partim assimilari actibus ipsis nostrae voluntatis, & partim ipsi voluntati, illis quidem assimilatur, quatenus dicitur ultimam perfectionem intrinsecam potentiae appetitivae; voluntati vero ipsi assimilantur in indifferentia, sicut enim voluntas nostra in ratione actus primi indifferens est ad hos, vel illos effectus casualis, ita velle divinum etiam sub ratione actus secundi, qualis est respectu creaturarum, est ex se indifferens, ut terminetur ad has, vel illas creaturas; itaque ut intelligatur complete, & adequatè velle divinum in esse actus determinati, sed liberi, ad has, vel illas creaturas ad modum creaturam volitionem subiectam imperfectioribus, opus est intelligere aliquid intrinsecum in Deo nempe substantiam amovibilem, & terminantem ipsam velle divinum; sicut ad hoc, ut intelligamus ipsas volitiones creatas liberè volentes à voluntate, & non per alias volitiones, intelligimus praeter voluntatem ipsam actum volendi determinatum, & determinationem causalitatem liberam voluntatis, cum hoc solo discrimine, quod voluntas creata dicit solam potentiam, sed velle divinum dicit utrumque ante terminationem effectus exteriori voliti; atque ita velle divinum liberum erit determinatio tota intrinseca quidem, si velle liberum accipiatur pro actu ipso volendi determinate habet creaturas, sed liberè, ita ut poterit non in eas tendere, tunc est denominatio partim intrinseca à substantia ipsius velle derivata, partim extrinseca ab ipsa creatura volente secundum determinationem liberam, quia ita fit, ut poterit non esse; verum enim est, quod velle divinum ita terminatum est ad has creaturas, ut poterit non terminari, hoc autem terminari, & esse liberè futurum, vel praesens; sicut voluntatem creatam liberè terminat ad hunc potius actum volitionis, quam ad alium, praeter voluntatem nihil aliud dicit, quam ipsam volitionem liberam ad volendum, à qua voluntas denominatur determinata liberè ad volendum; itaque volitio divina, quae denominatio est tota vitalis, sed quatenus determinata in actu secundo dicit denominationem extrinsecam sumptam à creatura, ad quam determinatur.

191 **S**ed contra hanc solutionem instabit, quia si hoc verum esset, sequeretur divinam voluntatem à creatura determinari ad volendum, vel nolendum, quod est absurdum. Negativa consequentia, efficiunt enim voluntas seipsam determinat potius ad hanc creaturam, quam ad illam, unde non tam dicenda est determinari per aliquid extrinsecum, quam ad aliquid extrinsecum; si nostra voluntas seipsam determinat ad volendum efficienter ob suam activam indifferentiam; connotative vero, & formaliter determinatur per actum à se elicium, & quia hoc secundum est imperfectioris in ipsa, divina voluntas non dicitur determinari formaliter, connotative per aliquid actum in se receptum, quem ipsa producat, sed sic immediate determinatur per creaturam, quam vult esse, vel non esse, & sic determinari à creatura, nullum est inconveniens. Contra ideo creatura est futura, quia Deus illam liberè vult, non est contra; ergo neque hoc modo divina voluntas per creaturam determinatur. Resp. si accipitur velle liberum, ut sic, concedo assumptum, & negatur consequentia; si vero accipitur velle liberum, ut in actu secundo ad hanc creaturam determinatum; negatur assumptum, sic enim unum non est prius alio, sic enim velle Dei ad hanc creaturam determinatum connotat necessario determinationem creaturae ad esse futurum, ac illam terminative involuit.

192 **S**ed ad huc urgebit, futuritio effectus nihil est, nisi pro eo tempore, quo ponitur effectus; ergo antequam effectus sit

praesens, Deus nequit dici realiter volens effectum futurum, cum illa volitio non dicat mutationem in Deo, sed in creatura, in qua tamen non sequitur, nisi quando creatura transiit de non esse ad esse. Conf. si Deus non intelligitur intrinsece determinatus ad volendum liberè in actu secundo, nisi postquam connotato creatura futura; cum creatura futura non ponatur esse, nisi in tempore, etiam Deus non intelligitur determinatus ad illam creandam, nisi in tempore; & in aeternitate, sicut creatura intelligitur solum futura etiam Deus intelligitur solum se determinaturus ad creandum illam, sicut accidit in voluntate creata.

Resp. distinguendo assumptum, futuritio effectus nihil est, &c. reale actuale, quod dicitur esse reale verbaliter, concedo, nihil est reale, prout ens reale, accipitur nominaliter, quo pacto distinguitur ab ente rationis, & à nihilo cui repugnat esse, negatur assumptum, si enim esse reale hoc pacto convenit enti possibili absolute, tanto magis enti possibili cum futuritione; & tunc negatur consequentia, ad cuius probationem rursus dicitur, quod licet mutatio realis, & subjectiva non sequatur in creatura, nisi quando in tempore accipit esse existentiae, post non esse, sequitur tamen in aeternitate mutatio obiectiva, quatenus de puro statu possibilitatis transiit ad ordinem futurorum. Ad Confirm. negatur assumptum etenim determinate se ad hoc faciendum, vel non faciendum in nobis dicitur actum volitionis, vel nolitionis, per quem formaliter, & intrinsece voluntas creata se determinat aliquid operari; & ideo antequam eliciat talem actum, nunquam potest dici terminari, quia est pura potentia, quae nondum elicit actum determinationis, seu decreti, & ideo si sit productiva de facto talem actum volitionis terminatum ad aliquem effectum extra; intelligitur solum se determinaturus, sed non determinata, quia nihil determinationis actualis est ante illum actum, neque substantia actus, neque ordo ad talem terminum; sed Deus ab aeterno habet non solum potentiam volitivam, sed etiam actum volendi, & nolendi, quae sunt intrinsece determinationes, & decreta potentiae volitivae, ideo ab aeterno dicitur intrinsece determinatus, quamvis connotatur requisitum ad completam determinationem actualem non habet nisi esse futurum; id quod etiam in nobis accidere videmus; si enim ego hodie elicio actum, quo decerno creas legere, statim eo actu elicitio formaliter mea voluntas determinata dicitur in actu secundo (nam quoad actum primum semper indeterminata manet ratione suae libertatis, cui repugnat determinatio in actu primo) ad creas legendum, licet crustina lectio non sit praesens, sed tantum futura; sic igitur in proposito, est creatura volita habere tantum in tempore esse actuale, & ab aeterno solum esse futurum, tamen hoc esse futurum sufficit, ut Deus dicatur ab aeterno actualiter determinatus, & actualiter volens illam; & non tantum se determinaturus, ut illam voliturus; tunc quia creatura ab aeterno non dicitur tantum volenda, & diligenda, sed actu volita, & dilecta; ergo pariter Deus ab aeterno non debet dici se determinaturus in tempore ad mundi productionem v. g. aut ejus productionem voliturus, sed dici debet ab aeterno actualiter determinatus, & actu volens productionem mundi, licet in tempore futuram, & hoc est, quod dicebat Doctor p. d. 39. s. iuxta praedicta, quod licet productio sit in tempore, operatio tamen immanens, à qua Deus denominatur actu volens creaturam, est in aeternitate & valde nota doctrinae solutionis hujus quintae objectionis, nam ex ea potissimum pendet recta intelligentia nostrae sententiae.

Sexta, & ultima obiectio est, quia si libera volitio divina, ut sic, nihil superaddit actui necessario, quo Deus seipsum diligit, & eodem modo intrinsece, ac entitative Deus modo se habet, quod ab aeterno volit, mundum esse, perinde ac si nolisset ipsam futuram, sequitur nunc posse in tempore liberè nolle, quod ab aeterno liberè voluit, & contra velle, quod ab aeterno noluit, consequentia probatur, quia haec mutationes non essent per aliquam intrinsecam mutationem in Deo, sed per solam extrinsecam mutationem in objectis creatis. Hujus objectionis solutio discussionem petit sequentis articuli.

ARTICULUS QUARTUS.

Resolutio quaestionis de immutabilitate morali, ubi de immutabilitate divini decreti.

193 **A**uctores nonnulli nobiscum tuentes decretum liberum nihil reale, & intrinsecum superaddere actui necessario divinae voluntatis ultima objectionem praecedenti articulo rela-